



Annales Societatis Divini Salvatoris

a Superiore Generali eiusdem Societatis
ut manuscripti editi

Vol. I.

Romae, die 1. martii 1949

Num. 4

„Crescite in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi!“ II. Petri 3, 18,
„Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos!“ Tit. III. 4; II. 11-12.




Autor:
L. Baumgartner
St. Gallen

PIO · PP · XII ·

FIDEI · DEFENSORI · INVICTO ·
JURIUM · ECCLESIAE · VINDICI · INTREPIDO ·

IN SPLENDORE · SUMMI · PONTIFICATUS ·
QUINQUAGESIMAM · ANNIVERSARIAM ·
SUSCEPTI · SACERDOTII · COMMEMORATIONEM ·
EFFUSO · IN DEUM · ANIMO · CELEBRANTI ·

VOTA NOSTRA · OPERA · VITA ·



F. U. S. A. - Cartolibreria Angelica - Roma

Dilecti in Christo Confratres !

Visitationi canonicae instituendae in provinciis nostris Brasiliiana et Columbiiana plus temporis consumere debui quam praevidere potui, ita ut edito ultimo numero annalium haud parum temporis jam sit elapsum.

Die 8. maii 1948 Roma proiectus Genuam petii et pyroscapha Italica « Argentina » vectus in Brasiliam et Columbianam contuli, unde die 20. octobris 1948 pyroscapha Suecica « Brasile » Antverpiae in territorium Europaeum reversus sum. Porro cum die 23. octobris Romam feliciter tandem advenissem, diversi labores maioris momenti expediendi mihi propositi sunt, ita ut saltem ad tempus in Urbe manere debuerim. Omnibus vero hisce laboribus rite expeditis spero me posse proximo veris tempore visitationem canonicae instituere etiam in provinciis et collegiis nostris in Europa sitis.

Dilecti in Christo Confratres ! Festa natalitia Titularis nostri Divini Salvatoris mundi laeti celebravimus. Vota mea et orationes ad praesepe divini Infantis et in ipso exordio novi anni pro unoquoque carissimo Confratre haec erant et permanent :

Crescite et accrescite in cognitione et amore Divini Salvatoris, qui est via, veritas et vita !

Crescite et proficite in vita religiosa undique expleta et perfecta inque fideli observantia votorum respicientes Eum et viriliter sequentes exemplum Ipsiis, qui propter nos pauper factus est ; qui erat purissimus inter puros et nullius peccati argui potuit ; qui obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis, et missionem a Patre aeterno Ipsi

commissam fidelissime adimplevit ; qui animis salvandis zelo sacro a nullo umquam labore abhorruit sese offerens usque ad ultimam guttam sanguinis.


Celebrantes 67. anniversariam a Societate fundata commemorationem Ipsi renovavimus sancta nostra vota paupertatis, castitatis et oboedientiae itemque promissionem apostolatus. « Vota mea Domino reddam ! » (Ps. 115, 5.)

Crescite et accrescite in amore Societatis, quae est Mater nostra et familia nostra, quaeque debet proficere et florere religione fidelitatis uniuscuiusque.

Crescite et accrescite in cognitione spiritus Venerabilis Patris Nostri, Conditoris Societatis nostrae, viriliter nempe obsequentes eius voluntati, saepissime meditantes eius « verba et monita », constanter imitantes heroicum ipsius exemplum virtutum et zeli animarum.

Prima centenaria commemoratio diei natalis V. P. N., sicuti annalibus nostris jam propositum erat, ubique terrarum in collegiis nostris et provinciis dignis solemnitatibus celebrata est. Obstupui plane et intime permotus fui sollemnitibus, quas ipse in provinciis nostris Americae Latinae concelebrare potui. Laetissimus legi diversas relationes et libellos, quos pleraeque provinciae Romam miserunt.

Vita V. P. N. a sacerdote Emidio Federici conscripta, cui titulus « Il Padre Jordan », et a Curia Generalitia edita ab omnibus et laudatur et approbatur. Hanc vitam Sanctissimo Domino nostro PIO PAE XII. ego ipse in admissione speciali



Collegium Menomiense cum praedio adnexo

tradidi suamque benedictionem pro omnibus sodalibus impetravi.


Omnis et singuli Superiores Provinciales unum exemplar huius vitae jam acceperunt et conversionem in suo quisque sermone patrio curare possunt, si id opportunum judicaverint. Ad leges librarias quod attinet, huiusmodi conversionibus nihil obstat; omnia quippe cum auctore libri jam composita sunt.

Adm. R. P. Bonaventura Schweizer, Superior Provincialis provinciae nostrae Helveticae, in ephemeride nostra «Der Missionär» vitam V. P. N. in forma pressa, sed intelligentiae populi accommodata scripsit, quam modo in forma libri

edidit. Provincia nostra Americana nonnullos libros de V. P. N. ad delectandos lectores aptos jam edidit.

Causa beatificationis V. P. N.

Processus rogatoriales in singulis dioecesibus tandem aliquando expleti sunt eorumque acta obsignata Vicariatu Romano tradita sunt. Adm. R. P. Dorotheus Brugger, Postulator Generalis, in Foederatis Septentrionalis Americae Civitatibus graviter aegrotavit. Speramus tamen futurum esse, ut brevi tempore e morbo convalescat Romamque reversus causam beatificationis maiore vigore peragere possit. Ipse Adm. R. P. Dorotheus,



Menominee: Jordan Seminary et domus novitatus

approbante Consilio Generali, R. P. Donatum Blondé, Rectorem nostri scholasticatus Romani, Pro-Postulatorem Generalem renuntiavit.

Hac de re cum loquar, omnes Confratres enixe rogare velim, ut fiduciam erga V. P. N. apud fideles valde promoveant et gratias vel etiam miracula, si quae forte eveniant, ad Postulatorem Generalem referant. Quemlibet vero cultum externum stricte evitemus, siquidem huiusmodi cultus anticipatus ob gravia S. R. C. praescripta beatificationi potius impedimento esset. In forma tamen privata omnes et singuli sodales magna fiducia ad V. P. N. recurrent. Missionarii quoque nostri in contionibus ad populum fiduciam erga V. P. N. bene possunt suscitare suscitamque promovere.

Instantibus quinquagesima anniversaria commemoratione suscepti a Pontifice Ma-

ximo sacerdotii et anno Jubilaei hodie haec dicere velim.

Donum speciale Societatis nostrae ea- que mediante donum mundi catholici Sanctissimo Patri nostro promittere volu- mus maiore semper studio promovendi diem sacerdotalem et maiore adhuc zelo promovendi vocationes ad sacerdotium. Fere ubique terrarum in Civitatibus trans- marinis et, proh dolor!, jam in plerisque Europae Civitatibus impar sacerdotum numerus habetur, unde consequitur ista hor- renda populi ignorantia doctrinae nostrae christiano-catholicae. Tentationibus et persecutionibus temporis nostri sacerdo- tes pares esse non possunt nisi sancti. Tales licet sint pauci, magna tamen mira- cula efficient.

De gratia vocationis ad statum sacer- dotalem et religiosum saepe meditemur donumque magnum perseverantiae finalis

cotidie humiliter imploremus ! De us ele-
git operarios in vineam suam, resp. in
lapcidinas suas secundum suam volunt-
atem. Ubi cumque laboramus, patimur,
sacrificamus, ac nobis aliisque caelum
meremur, electi DEI sumus, imo eius le-
gati et apostoli, ideoque locum ab Ipso
nobis concreditum animo levi derelinquere
non licet ! Ipse nos judicabit eritque nos-
ter Retributor magnus nimis !

Confratres non pauci officia valde gra-
via sustinent omnibusque fidelitati sua
praeluent. Omni sollicitudine et amore
memor sum Confratrum nostrorum in Sinis
immani bello civili devastatis. Laeti audi-
vimus duos Patres, nempe R. P. Leo-
nardum Gerke et R. P. Trudone m
Plessers, — e 4 Patribus quorum nomina
in ultimo numero annalium recensui — via
America in missionem nostram Shaowuen-
sem bene pervenisse. Duo alii Patres,
nempe R. P. Dominicus Peczka et
R. P. Ludwinus Ummenhofer, cum
magno ipsorum dolore ultimo momento
diplomata liberi commeatus (passport)

in Sinensem Rempublicam non receperint,
prompto animo nunc exspectant, ut in
aliam missionem mittantur.

R. P. Raphael Reuter ob valetudinem
suam profligatam e Sinis reversus et per
plures menses in collegio nostro Romano
commoratus obtento tandem diplomate li-
beri commeatus in Germaniam profectus
est. Superior ecclesiasticus missionis,
Adm. R. P. Ignacio König, Praefectus
Apostolicus, nuntiavit se adjuvari etiam
a quibusdam missionariis e septentriona-
libus Sinarum provinciis expulsis. Faxit
Deus, ut regiones Sinenses jam ex multis
annis tam acriter irritatae tandem aliquan-
do in pace vivere novique nostri missio-
nariorum in Sinas proficisci possint !


Sicuti jam numero 3. annalium nostro-
rum die 1. junii 1948 scripsi, in qualibet
provincia Procurator missionis constituatur.
Qua de causa omnes Superiores Pro-
vinciales et Pro-Provinciales denuo rogo,
ut Generalatui Procuratorem missionis
Provincialem confirmandum proponant, et
quidem sine mora.

Nuntii e Collegio nostro Romano

Collegium nostrum Romanum indolem
collegii vere internationalis undique prae-
se fert. Quadragintanovem sodales com-
munitatis nostrarae Romanae e tredecim
nationibus oriundi sunt : **Fratres scholasti-
ci**, qui praelectiones in Pontificia Univer-
sitate Gregoriana frequentant, multum
proficiunt et in diebus sollemnibus, juxta
veterem domus nostrarae traditionem, in
diversis ecclesiis ecclesiasticis funguntur
muneribus.

Prima centenaria commemoratio diei
natalis V. P. N. a communitate collegii
nostrri Romani modo singulari celebrata
est. Adm. R. P. Athanasius Krae-
chan, utpote me absente Vicarius Genera-
lis, missam sollemnem celebravit, dum

R. P. Paulus Maria Pabst, qui ad ma-
ximos natu e sodalibus Societatis perti-
net, sermonem habuit. Omnibus nimurum
notum est R. P. Paulum Mariam Pabst per
multos annos cum ipsissimo V. P. N. vi-
xisse et laborasse. Horis postmeridianis
Fratres scholastici caeremoniam sollem-
nem in refectorio habuerunt, quae indo-
lem internationalem vel melius suprana-
tionalem Societatis eiusque activitatis
plane prae se tulit. Totum refectorium or-
natum erat vexillis propriis fere omnium
nationum, in quibus Patres Societatis la-
borant. Fratres scholastici in suo quisque
sermone patrio brevem allocutionem ha-
buerunt ac vitam V. P. N., finem subli-
mem Societatis, missionem a divina Pro-



Menominee, novitatus

videntia ipsi impositam disertis verbis exposuerunt. Benedictione sollemni eucharistica hunc diem memorabilem 16. junii, 1948 finivimus, quem numquam delebit oblivio.

Fratres scholastici ferias suas benemeritas acribus studiis feliciter superatis anno praeterito prima vice denuo in Arce Candulphi prope Romam peregerunt. Dueae nostrae domus ibi olim acquisitae et bello valde devastatae magnis sumptibus restaurari debuerunt. In resarcendis hisce damnis Fratres scholastici laboribus suis nos adjuvarunt — plures eorum usu valde periti sunt —, ita ut expensa adhuc maiora prudenter evitari potuerint.

Constitutiones.

Constitutiones nostrae a Rev.mo P. Larrona C. M., Consultore S. C. de Rel. et peritissimo juris religiosorum, additis quibusdam emendandis nobis redditae Sacrae

Congregationi de Religiosis in hac nova forma revisa ad definitivam approbationem jam propositae sunt.

Manuale Pietatis.

Manuale Pietatis in lingua latina et Germanica conscriptum (hectographatum) singulis Superioribus Provincialibus jam transmissum est, qui editionem in lingua ipsorum vernacula curabunt.

Catalogus Generalis Sodalium SDS.

Novus Catalogus Generalis exaratus jam mense januario Tipographiae Polyglottae Vaticanae ad prelum traditus, statim ac labores preli finiti erunt, singulis Provincialibus ex hac alma Urbe mittetur. Editio huius novi catalogi generalis ideo imprimis tam longo tempore differri debuit, quia diversae notitiae de diebus nativitatis, professionis deque locis et operatione quorundam etc. etc. adhuc deerant

et ipse labor edendi catalogum generalem operosissimus et tardissimus est. Omnia quae respiciunt personam uniuscuiusque sodalis, nempe diem et locum nativitatis, professionis, ordinationis etc., adamussim sequentes tabulas a Provincialibus nobis transmissas accuratissime exarata sunt. Si qua errata nihilominus forte irrepserint, ea emendanda ad Generalatum referantur. **Ratio personarum in Societate nostra die 1. januarii 1949** ita se habuit :

Patres	564
Fratres clerici professi	171
Fratres conversi professi	295
Sodales professi	1 030
Fratres novitii clerici	59
Fratres conversi novitii	21
	1 110
Candidati clerici	959
Candidati conversi	31
UNIVERSIM	2 100

Relationes annuae provinciarum

Omnis Superioris Provinciales semel atque iterum rogavi, ut relationes saltem semestres de statu propriae provinciae Romani mittere vellent. Nonnisi paucae quidem usque hodie ad me venerunt, quae tamen omnes diserte affirmant ubique terrarum in singulis provinciis Patres sacrum ministerium optime exercere in missionibus populo praedicandis, in juvenibus instituendis, in exercitiis tradendis et confessionibus excipiendis.

In omni vero labore pastorali nemo sodalium posthabeat solidis virtutibus conformandi propriam animam !

Stipendia manualia ex USA

Generalatus magnopere sollicitus est de debitis Societatis rite solvendis deque providendis alimentis collegii nostri Romani aliorumque collegiorum, quae in Italia sita sunt. Numerus alumnorum collegii Montaltensis licet creverit (36), nihilominus tamen intendimus aliam domum acquirere, et quidem, si fieri potest, in Italia septentrionali, ubi generatim maior numerus vocationum habetur.

Accepta sola, de quibus disponere possumus, stipendia manualia sunt, praesertim ea quae ex Foederatis Americae sep-

tentrionalis Civitatibus nobis proveniunt. Qua de causa minime permittere possumus singulos Superioris Provinciales vel singulos sodales directe seu immediate adire R. P. Beda m Friedrich in collegio Nazianzeno rogantes eum, ut ipsis stipendia manualia mittat vel etiam directe fasces seu uti hodie dicunt « packages » alimentorum, vestium etc. quorum solvendis expensis se certum numerum intentionum celebrare promptos esse declarant. Quae omnia directe in damnum cedunt collegio nostro Romano, si ratio habeatur factorum tristium, quae anno 1930 Generalatui Romae evenerunt.

Necessitudine rerum tamen coacti singulis Provincialibus determinatum numerum intentionum concessimus ad comparandos sibi fasces (packages) alimentorum. Singula igitur collegia necnon singuli sodales hac in re suum adeant Patrem Provincialem.

Premium pro rescriptis Sacrarum Congregationum nummis uniuscuiusque Civitatis solvi debet. Pretia igitur quae huc spectant vel ad legationem Nuntii Apostolici solvantur vel directe Romam mittantur Procuratori nostro Generali.



Menominee, Adm. Rev. Pater Provincialis cum novitiis et neoprofessis

Nuntii personales. Ubi sunt singuli?

Omnibus huiusmodi quaestionibus novus catalogus generalis accurate et plene respondebit. — —

In collegio nostro Romano R. P. Gerardus Semptey ad tempus commoratur, qui e captivitate in Russia tandem aliquando reversus et apud Sorores nostras Budapestini hospitio benigne exceptus optime se recreavit. Hic in Urbe haud parvo nobis emolumento est servitio suo in Patriarchali Basilica Vaticana (Capella Sss. Sacramenti et Fontis bapt.) aliisque laboribus in ipso nostro collegio Romano.

Praeterea e captivitate Gallica feliciter reversus est R. P. Gotthardus Augustin, qui ad tempus collegio nostro Pfarrkirchensi adscriptus est; item e captivitate Russica reversus est Fr. Rembertus Häusler, qui usque adhuc tamquam amissus habitus nunc studia S. Theologiae tandem perficere potest.

Omnes hi ceterique Confratres, qui mensibus elapsis omnium nostrum congratulatione e captivitate reversi sunt, cari exspectatique ad nos advenerunt eosdemque plurimum salvere jubeo.



Collegium Nazianzenum

Relationes de collegiis nostris in Foederatis septentrionalis Americae Civitatibus

Hoc in numero annalium agere velim de collegiis deque activitate nostra in Foederatis septentrionalis Americae Civitatibus, quae collegia e Sinis reversus a mense decembri 1947 usque ad mensem februarium 1948 visitavi. Generatim et summatim ut sensus meos exponam, fateri debo me valde gavismus esse de magno numero sodalium (universim 291, nempe : 67 Patres, 41 Fratres scholastici, 54 Fra-

tres conversi professi, 10 novitii, 112 Candidati clerici, 7 Candidati conversi), de bono spiritu Communitatum deque pretiosis ac generosis operibus caritatis in favorem collegiorum nostrorum, quae in Europa sita sunt.


Relationes de singulis collegiis nunc sequentur quas Adm. R. P. Hieronymus Jacobs nuper mihi tradidit.

1. Collegium Menomiense (Jordan College)

Collegium Menomiense Sedes est Provincialatus et domus Novitiatus. Menominee, Michigan, urbs est fere 11.000 incolarum, per quam medium flumen Menominee fluit. Bona nostra immobilia haec

sunt : aedificium principale (College building, Jordan College), domus novitiatus, collegium cum oratorio, duae villae ; insuper duo stabula duoque horrea.

Praedium nostrum constat 95 jugeris,



St. Nazianz: Officina principalis

quorum 40 tantum excoluntur (vastus hortus olitarius arboribus pomiferis consitus), dum cetera prata sunt et silva. Exhibere hic velim tres imagines luce impressas, quarum imago aeria pulcherri-
mum situm collegii clare ostendit.

Patres sacro ministerio, nempe saepe auxilium ferendo clero saeculari, exercitiis spiritualibus necnon missionibus inter-

catholicos praedicandis, instructioni sa-
crae liturgiae et cantus ecclesiastici sedulo
incumbunt. Fratres conversi agrorum cul-
turae aliisque laboribus magna industria
operam dant.


Ratio personarum huius collegii : Patres
7, Fratres conv. professi 6, Fratres
cler. nov. 1, Fratres conv. nov. 9, uni-
versim 23.

2. Collegium Nazianzenum

Finis principalis huius collegii est in-
structio juvenum (215!) ad sacerdotium
aspirantium necnon apostolatus preli.
Maior pars sacerdotum (22) muneri do-
cendi alumnos Seminarii nostri incumbit,

dum ceteri aliis laboribus occupantur, im-
primis apostolatu preli et cura animarum.

Tres Patres curam animarum habent in
tribus paroeciis collegio adnexis nobisque
commissis, nempe St. Nazianz, School Hill



St. Nazianz: Tipographia, nova „taberna libraria SDS“

et Charlestown; R. P. Angelus Münzloher, maximus natu seu « senior » inter sacerdotes Societatis utpote jam octogesimum quartum annum agens, vigore animi corporisque gaudet adeo, ut muneri capellani in nosocomio Manitowocensi adhuc possit satisfacere. Unus e magistris studia superiora in Universitate Marquetteensi, Milwaukee, Wisc., exsequitur.

Hoc anno scholastico (1948/49) numerus alumnorum non solum idem permanuit, sed etiam haud mediocriter crevit, quoniam mense Septembri anni elapsi 215 alumni rite inscribi potuerunt.

Omnes vero Confratres probe sciant collegium nostrum Nazianzenum patere omnibus juvenibus cuiusvis vocationis sacerdotalis, i. e. sive saecularis sive religiosi. Etenim curriculo studiorum humanitatis feliciter superato ipsi juvenes libere

decernunt, utrum ad suos velint redire episcopos vel praeferant induere nostrum habitum religiosum. Tali nimirum modo convenimus cum diversis episcopis. Exempli gratia anno elapso 25 juvenes studia humanitatis rite absolverunt, quorum 14 in novitiatum nostrum ingressi sunt. Magno solatio nobis fuit, quod durante bello nulli nostri alumni utpote candidati clericii militiam capessere debuerunt. Eodem privilegio etiam Fratres nostri conversi gaudabant.

Brevi ante bellum plura aedificia, quibus maxime opus erat, exstructa sunt, nempe nova Sedes Seminarii alumnis instituendis exclusive dicata, nova « taberna libraria SDS », nova denique ac spatiose « oeconomia », i. e. domus rebus rusticis destinata. Haec tamen aedificia omni necessitudini suo tempore bene adaptata,

jam nimis angusta evaserunt, excepta sola domo rebus rusticis destinata. Alumnorum numero quotannis semper crescenti ut saltem quodammodo consuleretur, necesse fuit novitios in collegium Menominiense (Jordan Seminary) transferri, ut domus ita soluta in usum scholae converti potuerit.

Ratio personarum :

P a t r e s	22
Fratres conversi professi	31
Candidati clerici pro dioecesisibus et Societate	215
Candidati conversi	7
universim	275

3. Collegium Elktonense

Ad hoc collegium quod attinet, recolenda sunt ea quae jam numero praecedenti annalium (Vol. I, nr. 3, p. 15) diximus. Dubium non est quin haec Procura

Missionis Elktonensis maxima habeat merita de missione nostra Sinensi. Collegio Elktonensi adscripti sunt 6 Patres et tres Fratres conversi professi.


4. Collegium Milwaukiense

Centrum vitae communis et laboris communis huius collegii est paroecia « **Mater boni Consilii** » (Mother of good Counsel Parish ; enumerantur 3.200 animarum), quae mense Augusto 1925 Societati nostrae concredita est.

Sex Patres et unus Frater conversus summo studio laborant, ut muneri apostolico administrandi sacramenta et docendi populum plene satisfaciant. En brevis conspectus vitae paroecialis et laboris quos Patres anno 1947 perfecerunt :

Communiones	52.000
Confessiones	28.800
Sermones	485
Institutiones doctrinae christiana	1.800
Matrimonia	27
Baptismi	151
Neo-conversi adulti	15

Diebus dominicis et festis octo missae celebrantur, ut fideles quam plurimi praecerto Ecclesiae bene satisfacere possint.



St. Nazianz :
„Oeconomia“,
i. e. *domus rebus rusticis destinata*




Collegium Elktonense : Procura missionis

Patres etiam praesunt diversis piis Associationibus, e. gr. Sss. Nominis Jesu ; « domus et scholae » seu parentum et praceptorum ; juventutis catholicae (C. Y. O., i. e. Catholic Youth Organisation) ; doctrinae christianaæ ; S. Vincentii de Paulo ; tertii Ordinis S. Francisci.

Viginti Sorores SDS in schola paroeciali, in qua litterarum elementa traduntur, 916 discipulos, videlicet 452 pueros et 464 puellas, in diversis disciplinis pari diligentia ac scientia et patientia instruunt. Praeterea 194 juvenes paroeciae nostrae scholas superiores vel medias frequentant, quia nostra aedificia utpote nimis angusta omnibus petitionibus sufficere non possunt. Qua de causa Patres in animo ha-

bent amplificandi scholam et ecclesiam. Conspectus pecuniae ad totum opus absolendum 300.000 dollarorum efficit. Fideles paroeciae valde generosi sunt et digni qui eximiis laudibus celebrentur. Etenim ad ecclesiam et scholam paroeciale amplitificandas et sustentandas anno 1947 109 160.06 dollarorum voluntarie obtulerunt.

Gymnasium sat amplum et indigentiis valde accommodatum, quod anno 1941 exstruximus, ad diversos fines impendi potest et reapse impenditur. E. gr. aula principali gymnasii Patres utuntur ut magno auditorio vel spatiose refectorio, in quo 620 discipuli cotidie cenantur vel etiam ample oratorio, ubi singulis diebus domi-



Collegium Milwaukiense: „Mater Boni Consilii“

nicis attentis dimensionibus ecclesiae nimis angustis sacrosanctum missae sacrificium bis celebratur.

Imprimis vero in hoc gymnasio turmae paroeciae nostrae ad ludos corporibus exercendis pertinentes eademque 25 aliarum paroeciarum urbis nostrae pacifico agone inter se contendunt. Huiusmodi ludicrae corporis exercitationes, uti omnes optime sciunt, hodie multum apud juvenes valent eorumque otium hoc modo utiliter et salubriter impenditur. Aequitas quoque atque integritas mutua aemulazione addiscuntur.

Quae hucusque diximus, clare ostendunt quam laudabili zelo et quam multiplici

activitate Patres nostri in hac paroecia laboraverint.

P a r o c h u s est Superior collegii, nemepe Adm. R. P. **P a u l u s** Schuster, capellani vero R. P. **J o s e p h u s** Derks, R. P. **T i m o t h e u s** Licksteig et R. P. **F r i d e r i c u s** Dorn.

Mentionem adhuc specialem facere velim R. P. **M a r c e l l i n i** Molz, optime meriti capellani coemeterii dioecesanii ad S. Crucem, quippe qui exsequiis in ecclesiis paroecialibus expletis corporibus defunctorum sepulturae honorem tribuit. R. P. Marcellinus jam per 11 annos pari constantia ac fidelitate hoc munere fungitur. Tali modo e. gr. anno 1947 1309 sepulturas duxit.



Schola elementaria catholica „Matris Boni Consilii“

5. Collegium Lanhamiense

Novum hoc collegium anno 1941 erectum et Divino Salvatori dedicatum. Eiusdemque Divini Salvatoris nomine appellationum (Divine Savior Seminary, Lanham, Maryland) sedes scholasticatus est provinciae nostrae Americanae, in quo anno scholastico 1948/1949 41 Fratres clerici professi studiis theologicis et philosophicis (27 in S. Theologia et 14 in Philosophia) vacant.

Inde a tempore collegii erecti usque nunc omnes paelectiones S. Theologiae et Philosophiae ac disciplinarum affinium a Patribus nostris in ipso nostro collegio habebantur. Anno vero elapso his paelectionibus ad tempus suspensis Fratres scholastici Lyceum magnum (universitatem)

Washingtonensem frequentant. Lectores enim nostri cum nimis pauci essent, ut praecepsis CIC et constitutionum nostrarum satisfacere potuerimus insimulque novi magistri gradibus academicis distincti cum necessarii essent pro duobus seminariis nostris minoribus (St. Nazianz et Blackwood), tali modo providere nempe mittendi ad tempus scholasticos nostros ad Lyceum magnum catholicum Washingtonensem, nobis visum est opportunum. Interim plures Patres et Fratres scholastici ad lauream et licentiatum jam se paeprarent, ut paelectiones quam primum in proprio collegio haberri possint.

Collegium Lanhamiense fere decem milia passuum (10 English miles) distat a

lumi exstrui, item refectorium et culinam, dormitoria et aulam recreationis. Necessariae operae fabriles communi omnium labore autumno anni elapsi feliciter explete sunt. Gratias singulares agere velim Patri Provinciali provinciae Americanae, Adm. R. P. Hieronymo Jacobs, qui Fratres conversos e diversis collegiis suae provinciae ad hos labores perficiendos Blackwoodium misit.

Item plurimas gratias referre velim Superioribus localibus, qui suos Fratres conversos magna liberalitate ad tempus dimittentes reapse cooperati sunt, ut novum

collegium Blackwoodense citius et felicius exstrui potuerit. Maxime denique gratiae agendae sunt ipsis nostris Fratribus conversis, qui in exstruendo hoc novo collegio industria vere magna et animo toto laboraverunt.

Novum collegium Blackwoodense spatium sufficiens praebet 60 candidatis clericis admittendis.

Beatissimam Virginem Mariam sub titulo Matris Salvatoris, cui collegium dedicatum est (Mother of the Saviour Seminary), adprecamur, ut Societati nostrae bonas vocationes mittere dignetur !

7. Collegium Jordanense, Oregon

Paroecia nostra « Our Lady of Lourdes » sita in regione Linnensi, decem milia passuum ad orientem vergens ab urbe Scio, 65 annis ex quo existit et sacerdotibus catholicis tamquam ducibus spiritualibus regitur, jam a Patribus trium Ordinum administrata est (O. Cist. Ref., OSB, SDS).

Anno 1884 paroecia hoc loco condita est, cum nimirum 50 familiae, quae cum Rev. D. J. C. Buchholz duce spirituali ex Minnesota venerant, sedem ac domicilium sibi constituerint in pago Jordan, regione quidem illis temporibus remotissima


et in arvorum formam primitus redigenda.

Tempore veris anni 1905, eodem quippe anno quo possessiones ecclesiasticae, praesertim veterum Ordinum, in Gallia profanae redditae sunt, R. P. Henry Pelletan O. Cist. R. ad pagum Jordan advenit, regionem uti jam dixi remotissimam a distractionibus mundi et tumultu ipsamque hanc regionem valde idoneam judicavit condendi monasterium Ordinis Cisterciensium strictioris observantiae (**Trappistae !**).

Initio nova communitas Trappistarum Jordanensis tantummodo 16 monachos ha-



*Collegium Blackwoodense :
Oratorium ad tempus statutum*



Collegium Blackwoodense : Refectorium et schola



Collegium Blackwoodense : Schola



Phenix City, Alabama: Ecclesia, schola et domus paroecialis


multa aedificia construxit, quo facto pagus Grand Ronde in maiorem frequentiam convaluit populique vita ad tempus opulentior redita est.

Ad vitam religiosam quod attinet, paroeciae huius regionis bene comparari possunt cum ipsa conditione agrorum. Permulti, proh dolor!, ab Ecclesia defecerunt jamque non sunt catholici nisi solo nomine. Plures quidem optant, ut sui infantes fonte baptismatis renascantur, postea tamen plane indifferentes se habent, ut secundum fidem catholicam et ipsi vivant suique filii in sancta nostra religione catholica bene instituantur. Scholam paroeciale construi valde necesse fuit, qua utique exstructa maiorem numerum baptismorum habuimus. Sorores Dominae nostrae a Valle (Sisters of Our Lady of Valley), quibus schola paroecialis concre-

dita est, operam suam egregiam paroeciae usque hodie praebuerunt.

Diversa aedificia huius paroeciae cum fere omnia juxta consilium praestitutum jam sint exstructa, multa tamen adhuc desunt ad labores spirituales administrandae huius missionis perficiendos. Exempli gratia ultimis 13 annis unum tantum matrimonium mere catholicum et unum tantum matrimonium mixtae religionis in ecclesia celebrata sunt. Etenim maior pars populi matrimonium mere civile contrahit. Adversus haec facta tristissima habentur etiam fideles, qui virtutis suae exemplo omnibus praeluent, eosdemque inter albos et Indianos.

Summis laudibus celebrandus est R. P. Felix Bucher SDS, qui per 35 annos convertendis Indianis regionis Grand Ronde operam dedit. Optime quoque meritus de hac missione Grand Ronde exae-



Grand Ronde, Oregon: Missio inter Indianos - Ecclesia, schola et domus paroecialis



Grand Ronde, Oregon: P. Guntramnus Scheffold cum suis discipulis



Necrologium SDS

Reverendum Patrem Simeonem Heimann mortuum esse quoniam ultimo numero annalium ex quodam errore nondum nuntiavimus, id in hoc numero compensare volumus.

R. P. Simeon Heimann notus fere omnibus Confratribus, qui in Italiā venerunt, praesertim iis qui studiorum causa Romae commorati sunt, natus est die 4. 4.



Rev. P. Simeon Heimann

1878 in pago Affeln, archidioeceseos Paderbornensis. Ingressus in Societatem die 12. octobris 1895 vota prima, quae tunc temporis simul erant perpetua, in collegio nostro Romano die 4. octobris 1897 emisit. Ordinatus est sacerdos in cathedrali Notensi (Sicilia) die 1. februarii 1903. Per totam vitam suam in collegiis nostris Itallicis magna assiduitate adlaboravit atque per fere 40 annos continuos custos impigerimus fuit Sanctuarii Dominae nostrae a Ponte (Santuaria della Madonna del Ponte), quod Narniae in Umbria a fidelibus magno in honore habetur.

R. P. Simeon cunctis Narniensibus bene notus et carissimus fuit ob magnam suam erga omnes bonitatem et ob eximum

suum zelum pro hoc sanctuario conservando et exornando. Hoc de eius zelo pro gloria BMV adaugenda cum loquar, videtur mihi esse quasi praemium speciale eiusdem Beatissimae Virginis, quod die Mariano, nempe die sabbato (10. 4. 1948), ad praemia aeterna evocatus est.

R. P. Simeon Heimann in coemeterio Narniensi in pace Christi requiescit.

R. P. Magnus (Franz) Wambacher morbo gravi et longinquo magna cum patientia tolerato totaque vita in servitio Divini Salvatoris fidelissime impensa, omnibus Ecclesiae sacramentis rite confortatus die 8. decembris 1948, festo Immaculatae Conceptionis BMV in collegio Klausheidenensi pie in Domino obiit.

R. P. Magnus die 22. septembris 1873 in pago Puchkirchen prope Vöcklabruck (dioecesis Linz, Austria) natus studia humanitatis adhuc domi consummavit. Ingressus in Societatem die 8. septembris 1892 vota prima simulque perpetua die 17. novembris 1893 emisit. Roma e ordinatus est sacerdos die 4. junii 1898.

R. P. Magnus Wambacher observantia sua religiosa ac fidelitate erga Societatem



Rev. P. Magnus Wambacher

praeclera virtutis exempla praebuisse omnes Confratres bene sciunt. Cum vero ob aurium suarum tarditatem in cura pastorali laborare non posset, egregia eius opera secretarii non tantum ipsissimus V. P. N. per plures annos est usus, sed etiam omnes ipsius Superiores. Imo per plures annos (1911-1915) R. P. Magnus membrum erat Generalatus, nempe Consultor et Secretarius Generalis. In nuntio acerbi funeris collegiis transmisso optime de ipso scripserunt: «*Servivit in fidelitate et CHRISTUS est ipsius praemium!*»

Hodie (18. 3. 1949) per litteras R. P. Apollinaris Thoma certiores facti sumus **R. P. Evaristum (Andream) Mader** die 14. martii 1949 confirmatum Ecclesiae sacramentis et benedictione speciali Summi Pontificis, Perchae prope Starnberg in Bavaria in domo Sororum S. Joseph (Ursberg) pie in Domino mortuum esse. Ipsum jam ex multis annis graviter aegrotavisse omnes sciunt. Natus die 9. januarii

1881 in pago Großlangheim ingressus est in Societatem die 26. septembris 1895, vota prima emisit die 4. octobris 1897 et ordinatus est sacerdos Friburgi in Helvetia die 25. juli 1903. R. P. Evaristus Mader fuit insignis archaeologus et orientalista.

Item Monachi in Bavaria sanctissime in Domino obdormivit die 14. (?) martii 1949 **Fr. conv. Adiutus (Leopold) Schmid**, frater germanus nostri R. P. Paschal Schmid. Adscriptus erat diversis collegiis provinciae Germaniae Meridionalis, praesertim collegiis Wurzaciensi et Monaciensi, in quibus magna alacritate et assiduitate multum laboravit. Natus die 20. septembris 1876 in pago Weitnau dioecesis Augustodunensis, ingressus est in Societatem die 20. aprilis 1920, vota prima emisit die 8. decembris 1921.

De his duobus Confratribus modo defunctis plura in proximo numero annarium !

R. I. P.

Notandum in diario !

Sedes provincialatus provinciae Brasilianae die 2. februarii 1949 ex urbe Vila Arens-Jundiai in urbem Indianopolis-São Paulo translata est.

INDEX ANALYTICUS ANNALIUM

S D S

1947 - 1949

4 Numeri Huius Voluminis (1947 - 1949) sunt:

- Nr.o I - 1.VIII 1947, pag. 1 - 8
Capitulum Generale
- Nr.o II - 1.XII 1947, pag: 1 - 14
De singulis Provinciis SDS
paucae notitiae; electiones
- Nr.o III - 1.VI 1948, pag. 1 - 20
Missio Sinica
Centenario P.N.Fundatoris
- Nr.o IV - 1.II 1949, pag. 1 - 32
Provinc. Americana
Statistica
Varia

Vol. - Pad.	Vol.-Pag.
America - Provincia - Collegii	II - 5,6 IV - 11,26
Annales	I - 4
Audientia Pius XII - P.P. Capitulares	I - 8
Austriaca - Provincia - Collegii	II - 10
Arx Candulphi	IV - 8
Belgicus - Commissariatus - Collegii	II - 12
Brasiliana - Provincia - Collegii	II - 7,8 IV - 29
Provincialatus sedis Transl.	
Britannica Provincia	II - 11
Canonisatio S. Nicolai a Rupe	I - 8
Capitulum Generale	I - 5
Catalogus Generalis sodalium SDS	IV - 8
Cechoslovacus Provincia	II - 10
Chiloe	II - 9
Collegium Romanum	IV - 7
Comparatio Statist. Progressus SDS	IV - 30
Confratres Jubilares 1948	III - 19
Constitutiones - Revisio	I - 7 II - 5 III - 4, 18 IV - 8
Consultores Generales	I - 6
Crescite et proficite	IV - 4
Dies sacerdotalis	IV - 6
Domus Generalitia	II - 4
Electiones novae	II - 13
Germania - Provincia - Collegii	II - 9,10
Helvetia - Commissariatus	II - 11
Italia - Collegii	II - 5
Incardinatio Sodalium	III - 18
Iter: De itinere meo in Missionem Sinensem	III - 4
Libelli V.P.F.	III - 3
Liber Caerem. - Manualis	I - 7
Manuale Pietatis	III - 18 IV - 9
Mater Liboria: Obitus, funerales	I - 8

